5

# FIDES CAIETANA

## In controuerſia CONCEPTIONIS B. Virginis MARIÆ.

### Ad libram veritatis appenſa, & nulla inuenta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Licèt (vt non ſemel probaui) omnes fere Orthodoxæ Eccleſiæ Patres, tam Græci, quam Latini pro nitentiſſima Deiparæ Virginis Conceptione ſuis ſuffragijs ſteterint: Quia tamen Thomas de Vio Ordinis Prædic. & S. R. E. Cardinalis Caietanus, vir ſcientiarum omnium eminentia celeberrimus in ſuo Opuſculo de Conceptione B. Virginis ad Leonem X. capit. 2. bona fide ex Bandelo ſcripſit: Innumeram Sanctorum

*Vide Mariale Iſidori Theſſalonicen. & Mariale S. Germani Conſtantinopolitani in Notis.*

A mul-

multitudinem explicitè tenere Beatam Virginem contraxiſſe peccatum Originale: & ibidem cap. 4. ex eodem aſſeruit quindecim Sanctos Patres ſibi occurriſſe, qui non in communi, ſed in ſingulari, nominatim de Beata Virgine loquentes, docuerunt Beatam Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam: quos quidem Sanctos, ne fingere videretur, nominatim in ſuis locis afferre cenſuit, ita vt eorum non ſolùm nomina, & loca, in quibus hoc ſcripſerunt, ſed verba ipſa afferentur: Ideò, ne aliqui, parum in Sanctorum Patrum lectione verſati, tanti Viri fidei tamquàm fideli fidem adhibentes, verum eſſe putent, quod ille non vere (licet bona fide) conſignare Litteris auſus eſt; Et ne Caietani ſequaces, vel defenſores argumento ex SS. Patrum auctoritate ducto (quod eorum Achilles eſt) contrà Conceptionem Immaculatam amplius vtantur; Statui Caietani fidem ad libram veritatis ſincerè appenſam præſenti opuſculo diligenter examinare, eamque nec veram, nec fidelem, imò nullam prorſus in hac re eſſe pro mearum tenuitate virium Lectori meo breuiter de-

demonſtrare. Quod ſi, Deo adiuuante, præſtitero, Deiparam Virginem Mariam ſemper & vbique immaculatam, Sanctos Eccleſiæ Orthodoxæ Patres fidei noſtræ Magiſtros, atque ipſam Eccleſiam Catholicam Columnam & Firmimentum veritatis, ab iniuria his omnibus illata, me ſimul liberaſſe iudicabo. Si enim (vt vult Caietanus) Sancti Patres communi conſenſu tenerent Beatam Virginem in originali peccato conceptam; quonam modo tutum eſſet, omnium Sanctorum Patrum, qui fuerunt Magiſtri fidei noſtræ, ſententiam relinquere, & opinionem de immaculata Conceptione amplecti? Quomodo tot Summi Pontifices, Conceptionis immaculatæ fautores, & præſertim Sixtus IV. Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. grauiter non peccaſſent; compedes quodammodo inijciendo opinioni, tanto SS. Patrum pondere firmatæ, ne ſcilicet ea amplius in publicum, ſiue ad Sacrum pulpitum, ſiue ad Scholaſticum ſuggeſtum, ac etiam, quod multo arctius eſt, ad priuatum cum altero colloquium progrederetur? Et quomodo ipſa Eccleſia Catholica, columna, & firmamentum veritatis, tur-

 piter

piter non erraſſet, & de facto nón erraret, ſibi quâ feſti & officij inſtitutione, quâ indulgentiarum largitione, quâ Religionum approbatione, quâ Altarium, Templorumque conſecratione, valdè acceptam, & gratam oſtendens Opinionem innumeræ SS. Patrum multitudini repugnantem? At, ipſomet fatente Caietano, tuta eſt opinio aſſerens Beatam Virginem ſine Originalis peccati labe conceptam, & cum veritate Sacræ Scripturæ, reliquiſque neceſſario creditis à Chriſti fidelibus ſuſtineri poteſt: quinimo grauiter damnantur ij, qui eam aliquâ cenſurâ dignam aſſerere auſi fuerint: Inſuper nec Summi Pontifices hanc opinionem approbantes peccarunt: Neque Eccleſia Catholica hanc opinionem amplectens, vnquàm errauit, aut errare poteſt; Ergo non benè dicit Caietanus, dum ſcribit: innumeram SS. Patrum multitudinem explicitè tenere Beatam Virginem contraxiſſe peccatum Originale. Et certè, cùm innumera SS. Patrum multitudo plerumque dogmata firmet, nec ei vnquàm tutum ſit contraire; quis audiens innumeram Sanctorum multitudinem explicitè tenere Beatam Virginem

nem

nem contraxiſſe peccatum originale; & eorum teſtimonia candidè & fideliter adducta eſſe ſibi perſuadens, non ſtatim ad hanc partem trahatur, niſi commentis, & falſis citationibus detectis, de veritatis ſinceritate plenè fuerit informatus?

At qui ſunt Sancti Patres, qui non in communi, ſed in ſingulari nominatim de Beatiſſima Virgine MARIA loquentes, docuerunt, eam fuiſſe in originali peccato conceptam, quos, ne fingere videretur, nominatim in ſuis locis attulit Caietanus, ita vt eorum non ſolùm nomina, & loca, in quibus hæc ſcripſerunt, ſed verba ipſa ſe ex Bandelo afferre profiteatur? Porrò ex innumera multitudine ſolum quindecim enumerauit Caietanus, nempè S. Auguſtinum, S. Ambroſium, S. Ioannem Chryſoſtomum, S. Euſebium Emiſſenum, S. Remigium, S. Maximum, S. Bedam, S. Anſelmum, S. Bernardum, S. Erardum, S. Antonium de Padua, S. Thomam de Aquino, S. Bonauenturam, S. Bernardinum Senenſem, & S. Vincentium Ferrerium: plures daturus, ſi plures occurriſſent. ſed bona tanti Viri veniâ intre-

pidè affirmare non dubito: Iſtos Sanctos Patres, bona fide ex Bandelo à Caietano adductos, partim eſſe omnino fictos, partim prorſùs deprauatos, partim perperam intellectos, partim verò inconſtantes,& varios, & Coceptioni etiam Immaculatæ Deiparæ Virginis apertè fauentes. Quod an verum ſit, an falſum, poſt ſingula ad liberam veritatis candidè appenſa, & ſtudiosè examinata, iudicium cuiuſcunque non iniqui lectoris appello.

*Sancti Patres ficti.*

Et quidem Sancti Patres ficti, licet à Caietano veri crediti, quos ipſe Caietanus in ſuo Opuſculo de Cóceptione ca.4. ad probandum B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam bona fide ex Bandelo adduxit, ſunt S. Ioannes Chriſoſtomus, S. Euſebius Emiſſenus, S. Remigius, S. Maximus, S. Erardus, & S. Antonius de Padua. Inquit enim loco citato Caietanus. *Sanctus Ioannes Chriſoſtomus ſuper Matthæum dicit: Quamuis Chriſtus non eſſet peccator, naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepit.*

*Sanctus Euſebius Emiſſenus Epiſcopus in 2. ſermone Natiuitatis Domini, qui incipit: Noſtis chariſſimi, ait: A peccati*

ori-

*riginalis nexu nullus immunis extitit, nec tiam ipſa Genitrix Redemptoris.*

*Sanctus Remigius ſuper Pſalm. Deus, Deus meus reſpice, dicit: Beata Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata. aut ex ea conciperetur ſine peccato homo hriſtus Ieſus.*

*Sanctus Maximus in ſermon. de Aſſumione Beatæ Virginis, dicit: Beata Virgo orioſa fuit in vtero Matris ſanctificata, b omni contagione originalis culpæ, anteuam naſceretur, & per Spiritum ſanctum undata.*

*S. Erardus Epiſcopus, & Martyr in ſerm. atiuitatis Beatæ Virginis, dicit: O felix uella, quæ concepta in peccato, purificatur b omni peccato, & filium concipit ſine eccato.*

*Sanctus Antonius de Padua Ordinis Miorum in ſerm. de Natiuitate Beatæ Virginis dicit: Beata Virgo fuit in vtero Matris peccato per gratiam ſanctificata, & ſine eccato nata.* Sic ex Bandelo Caietanus.

Dico igitur primo Sanctum Ioannem Chriſoſtomum (qui in ſua Lyturgia Deiparam Virginem immaculatam, ac penitus incontaminatam prædicauit) eſſe anctum Patrem fictum; non quidem *Chryſoſtomi locus fictus.*

 quoad

quo ad Sanctitatem, cum ſit omninò Sanctiſſimus; ſed quo ad auctoritatem allatam, quæ nunquam in ipſius Chryſoſtomi operibus reperietur. Scripſit quidem Chryſoſtomus Homil. 3. in Matthæum, Chriſtum ex peccatricibus ortum habuiſſe, videlicet Raab, Thamar, Betſabea, quæ habentur in Genealogia, ſed naturam humanam de peccatrice ſumpſiſſe (vt Caietanus refert) nec ſcripſit Chryſoſtomus, nec ſcribere ſine blaſphemia potuit, cum nunquam Deipara fuerit peccatrix; peccatrix enim, propriè loquendo, appellatur, non quæ in originali peccato concepta eſt, ſed quæ peccata actualia commiſit. En fides Caietana!

*Euſebius Emiſſenus Sanctus fictus.*

Dico ſecundò Sanctum Euſebium Emiſſenum, eſſe Sanctum Patrem fictum quo ad Sanctitatem. Tum quia in Martyrologio Romano eius nomen notatum non reperitur: tum etiam quia S. Hieronymus, Sixtus Senenſis, Bellarminus, Poſſeuinus, & alij, qui eius in ſuis operibus meminerunt, illum vt Sanctum nunquam agnouere. Fuit quidem ille, teſte S. Hieronymo in lib. de Script. Eccleſiaſt. elegantis ex Rhetorici ingenij vir, ſed non Sanctus, imò vt nonnul-

nulli volunt, & nominatim Poſſeuinus Tomo 1. Apparatus Sacri, fuit Arianus. Nec ſolum dico Euſebium Emiſſenum eſſe Sanctum Patrem fictum, quoad Sanctitatem, ſed fictum etiam quo ad opus illi à Caietano adſcriptum. Sermo enim ille ſecundus de Natiuitate Domini, à Caietano citatus, qui cum alijs eius ſermonibus Lutetiæ Pariſiorum impreſſis circumfertur, non eſt Euſebij Emiſſeni, ſed vel Bedæ, vel Rabbani, vel Eucherij Lugdunenſis, vel Cæſarij Arelatenſis, vel Auctoris incerti, vt obſeruarunt Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta lib. 4. & Bellarminus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Et cuiuſcunque tandem ſit, illius ſermonis verba corrupta ſunt, ac deprauata, ſilentio vnius verbi, quod omninò variat ſenſum à Caietano intentum, nempè *per ſe.* cùm verba à Caietano allata ſint iſta: *A peccati originalis nexu nullus immunis extitit, nec ipſa etiam Genitrix Redemptoris:* Quæ vero in Auctore leguntur ſunt huiuſmodi: *A peccati originalis nexu nullus per ſe immunis extitit, nec ipſa etiam Genitrix Redemptoris.* Vltrò autem omnes fatemur Beatam Virginem non fuiſſe à peccati originalis ne-

*Locus Euſebij ſeu potius Auctoris incerti deprauatus.*

xu immunem *per ſe*. En fides Caietana!

*Remigius Sanctus fictus.* Dico tertio Sanctum Remigium eſſe Sanctum Patrem fictum. Nam per S. Remigium, vel intelligit Caietanus S. Remigium Rhemenſem, Virum verè Sanctiſſimum, & hic non ſcripſit in Pſalmos, nec huius opus aliquod extare ſcitur; Vel intelligit Remigium Altiſiodorēſem Monachum Benedictinum, qui, teſte Bellarmino, ſcripſit Commentaria in Pſalmos, ex Patribus Ambroſio, & Auguſtino multa decerpens: & hic non fuit Sanctus. Vt interim ſileam huius Remigij Antiſiodorenſis verba, ex Beda deſumpta, à Caietano contra Conceptionem immaculatam allata, debere intelligi non de mundatione Beatæ Virginis à peccato originali, de qua ibi non loquitur Remigius, *Remigij verba perperam allata.* ſed de mundatione ab omni mala cogitatione, pro eo tempore, quo Virgo concepit Chriſtum, vt cuilibet legenti poteſt eſſe manifeſtum. En fides Caietana?

*Auctoritas S. Maximi ficta.* Dico quarto Sanctum Maximum, eſſe Sanctum Patrem fictum, non quidem in ſanctitate, quam in illo omnes venerantur, ſed in ſermone de Aſſumptione, ex quo teſtimonium pro conceptione maculata profert Caietanus. Sermo enim

ille de Aſſumptione inter ſermones S. Maximi Romæ atque alibi impreſſos non reperitur: nec eius mentionem facit Gennadius in libro de Viris Illuſtribus, alijque qui de S. Maximo, ac de ipſius litterarijs monumẽtis pertractarunt: Nec poſſit produci Codex aliquis antiquus, & fide dignus, vbi ſaltem reperiatur M. S. En fides Caietana?

Dico quinto Sanctum Erardum eſſe Sanctum Patrem fictum, cum illum in Martyrologio Romano non habeamus, & cuius Ciuitatis ipſe fuerit Epiſcopus, & ſub quo Tyranno Martyrij palmam adeptus ſit, adhuc ignoremus. Dicant quæſo Caietani ſequaces, vel defenſores, quo anno, vel quo loco iſtius Erardi Epiſcopi, & Martyris de Natiuitate B. Virginis ſermo; quo eadem B. Virgo in peccato originali concepta, teſte Caietano, aſſeritur, impreſſus ſit: vel ſi non fuit impreſſus, ſaltem in quibus Bibliothecis M. S. cuſtodiatur, vt illum videre poſſimus. Non enim credendum eſt Bandelo, & Caietano referentibus, cùm non ſint idonei in hac materia teſtes. Sed ſi omnes totius Chriſtiani Orbis Bibliothecæ diligentiſſimè excutiantur, nunquàm cre-

*S. Erardus Sanctus fictus.*

do

do ſermo iſte reperietur. En fides Caietana?

Quod ſi dicas hunc S. Erardum eſſe S. Gerardum Sagredum Venetum Epiſcopum Cannadienſem in Vngaria, anno 1047. die 24. Septembris pro Chriſti fide martyrio coronatum, qui (vt dixi in Bibliotheca Mariana par. 1. & in Antiſtibus Marianis cap. 7.) de laudibus, & prerogatiuis Deiparæ Virginis, (cui fuit maxima pietate, ac deuotione addictus.) non pauca opuſcula litterarum monumentis conſignauit: & typographorum errore in Caietani Opuſculo de Cōceptione pro Gerardo, relicta littera G. poſitum eſſe Erardum: adhuc ſupereſt oſtendendum vbi hic S. Gerardus Cannadienſis Epiſcopus, & Martyr dicat B. Virginem in originali peccato conceptam; niſi enim illius ſermonem, vel impreſſum, vel ſaltem in antiquo, & probato Codice M.S. videro, Caietano ex Bandelo referenti non credam.

*Teſtimoniū S. Antoni de Padua fictum.* Dico ſextò, Sanctum Antonium de Padua in producto Teſtimonio eſſe Sanctum Patrem fictum: cum in ſermonibus eius, qui circumferuntur, nullus extet de Natiuitate B. Virginis ſermo, & verba

à Ca-

à Caietano adducta, in S. Antonij Operibus, ſaltem editis, non reperiantur. Quod etiam obſeruauit Suarez Tomo 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5. En fides Caietana? Et hi quidem Sancti Patres ficti.

Sancti Patres deprauati, & à Caietano ad Conceptionem B. Virginis maculatam adſtruendam genuini exiſtimati, ſunt S. Auguſtinus, & S. Ambroſius, ab ipſo Caietano ex Bãdelo pro eadem Conceptione maculata in hæc verba relati. *Sancti Patres deprauati.*

*S. Auguſtinus ſuper Pſal. 34. dicit: Adam eſt mortuus propter peccatum: Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum: Caro autem Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata. Et in lib. 2. de Baptiſmo paruulorum dicit: Solus ille homo factus manens Deus, peccatum nullum vnquàm habuit, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Et in libro 10. ſuper Gen. ad litteram dicit: Corpus Chriſti quamuis ex carne feminæ aſſumptum ſit, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat: tamen quia non ſic in ea conceptum fuit, quomodo fuerat illa concepta, ideò ipſum non fuerat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati.*

*Sanctus Ambroſius ſuper Beati immaculati*

*lati dicit : Venit Dominus Ieſus, & in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Ita ex Bandello Caietanus.

*S. Auguſtinus deprauatus, & perperam intellectus*

Dico igitur primò Sanctum Auguſtinum (quem pro Conceptione immaculata ſtare in ſuo Opuſculo de Conceptione multis comprobat Catharinus) in Pſal. 34. eſſe deprauatum, dum ab eius verbis ablatum eſt hoc verbum *Adæ*. Dicit enim S. Auguſtinus, vt in eius Codicibus videri poteſt: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum Adæ*: quòd eſt veriſſimum, quia videlicet non eſt mortua propter ſuum peccatum, ſibi inhærens, ſed propter peccatum Adæ, ex quo omnes morti addicti ſumus, etiam poſt peccatum deletum. Caietanus verò verba Auguſtini referens, tacuit illud verbum *Adæ*, dixitque ſolum: *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum*: ſignificans mortuam eſſe, non propter peccatum Adæ, ſed propter peccatum proprium. Et quidem hac ratione probari poſſet, adducto Iſaiæ Prophetæ teſtimonio, Chriſtum Dominum, *qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, vulneratum eſ-

ſe

ſe propter iniquitates ſuas, & attritum eſſe propter ſcelera ſua, tacendo illa verba, noſtras; & noſtra. Nec ſolum in Pſalm. 34. ſed & in libro 2. de Baptiſmo paruulorum, ſeu in libro 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 24. Tomo 7. deprauatus eſt Auguſtinus. Nam cum S. Auguſtinus ibi dicat, vt habetur in editione Pariſienſi anni 1586 ad complurium M.S. fidem à mendis expurgata: *Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati:* Caietanus ex Bandelo in hunc modum retulit: *Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum vnquam habuit, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati:* Vbi vides apud Auguſtinum non legi: *de materna carne peccati*: Sed, *De Natura carnis peccati*: Poſſet tamen in hoc excuſari Caietanus, vtpotè vitiato S. Auguſtini Codice vſus: cum in aliquibus S. Auguſtini Codicibus, hæreticorum (vt puto) fraude deprauatis legatur, *de Materna carne peccati*. Adde hunc S. Auguſtini locum non ſolum corruptum, ſed malè etiam pro B. Virgine

n Originali peccato concepta allatum, & pe pe am intellectum: Cùm S. Auguſtinus loquatur ibi de peccatis actualibus, nec in indiuiduo de B. Virgine mentionem faciat, vt ex ipſius Auguſtini Textu apertiſſimè cognoſci poteſt. Locus verò ille in Libro ſuper Geneſim ad litteram, vbi Auguſtinus carnem Mariæ vocat *Carnem peccati*, addens eum, qui hoc negat, tanquàm hæreticum eſſe deteſtandum: non probat, quod Maria de facto contraxerit peccatum Originale, vt probare intendit Caietanus. Eſſe enim carnem peccati (inquit in Opuſculo ſuo de Conceptione Ambroſius Catharinus) non aliud ſignificat niſi eſſe propagatam naturaliter, & ex peccatoribus, non ex Spiritu Sancto, quod qui negat de Virgine, verè deteſtandus hæreticus inuenitur:& non ſignificat peccatum actualiter eſſe in Carne (vt indocti credunt) cùm non caro, ſed anima ſit ſubiectum peccati: nec eſſe carnem peccati neceſſariò ſecum fert animam eſſe coinquinatam, cùm etiam per gratiam mundata omnis caro adhuc dicatur caro peccati, vtpotè de peccatore propagata. Quod autem hæc ſit Auguſtini

mens

mens, manifeſtè declarat, ſubijciens: *Et quid incoinquinatius illo Vtero Virginis, cuius caro & ſi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit*. Et ſubdit: *Proinde Corpus Chriſti quamuis de carne fœminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat: tamen quia non ſic in ea conceptum eſt, quomodo fuerat illa concepta, nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati*. Hæc ille. Quibus quid poteſt eſſe euidentius, vt declararet carnem peccati dici, quę communi modo concepta eſt ex peccatoribus, nec tamen ideò ſequi in carne ipſa reuera inueniri peccatum, ſed ſolum peccati debitum, niſi per Chriſtum inueniatur quouis modo ſolutum? Ideò caro Virginis non æquatur in puritate Carni Chriſti, quæ de Spiritu Sancto concepta fuit. Et hoc eſt, quod ait Auguſtinus, quod qui negat deteſtandus hæreticus inuenitur: Sic enim ſe ipſum declarat. Alioquin qui potuiſſet verè dici deteſtandus hæreticus, qui id diceret, quod nunc etiam celebrat Eccleſia? En fides Caietana?

Dico ſecundo Sanctum Ambroſium (qui in Homilia de Cain & Abel Ma-

riam ouem intactam atque immaculatam nuncupauit, quemque immaculatæ Conceptioni apertè fauentem oſtendit Serranus in ſuo Opere de Conceptione lib. 2.) prout à Caietano adducitur, eſſe deprauatum. Nam cum S. Ambroſius ſermone 6. in Pſal. 118. dicat tantũ: *Venit Dominus Ieſus, & in carne, quæ peccato fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit:* Caietanus addidit, *in Matre*; *Venit Ieſus, & in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia militiam virtutis exercuit.* Quod quidem verbum, *in Matre*, nec in Ambroſio eſt, nec potuit ibi eſſe; cum S. Ambroſius non de B. Virgine, ſed de Virginibus Sanctimonialibus ibi loquatur. Vocauit autem Ambroſius Chriſti carnem peccato obnoxiam, quia reatum peccati omnem in ſe contraxit; Vnde, & Chriſtum factum peccatum dixit; vt per paſſionem, & mortem illo abſumpto, etiam peccatum extingueretur. En fides Caietana? & quidem nihil fœdius quàm deprauare verba Doctorum, & illa poſt hæc in argumentum inducere. Quod cùm non ſemel faciat Caietanus, ſatis indicat ſe non veritatem, ſed victoriam, & illam falſam, & ſophiſticam quærere, vt

*S. Ambroſius deprauatus.*

in

in Opuſculo citato de Cōceptionē B. Virginis optimè ſcripſit Catherinus, Archiepiſcopus Compſanus, de Ordine præfulgido Prædicatorum aſſumptus. Veniamus iam ad Sanctos Patres perperam intellectos.

Sancti Patres perperam intellecti, quos Caietanus Bandelo fides contra Conceptionem immaculatā ſcripſiſſe indicauit, ſunt S. Beda, S. Anſelmus, & S. Bernardus, quorum teſtimonia ex Bandelo ita refert Caietanus. *SS. Patres perperam intellecti.*

*Sanctus Beda in Homilia ſuper miſſus eſt, (& habetur in Gloſa ordinaria) dicit: Spiritus ſanctus ſuperueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, & ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis cor eius temperauit, atque mundauit.*

*S. Anſelmus in lib. cur Deus homo cap. 16. dicit: Licet ipſa Chriſti conceptio munda ſit, Virgo tamen ipſa, unde aſſumptus eſt, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam Mater eius.*

*S. Bernardus in Epiſtola ad Lugdunenſes dicit: B. Virgo poſt conceptum in vtero iam exiſtens ſanctificationem accepiſſe creditur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit Natiuitatem, non Conceptionē.* Hactenus Caietanus.

Dico igitur primo Sanctum Bedam perperam intellectum, nec ſatis commodè allatum ad probandum B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam; expreſsè enim loquitur ibi Beda de tempore Incarnationis Dominicæ, & non de peccato originali, quo ſecundùm omnes illo tempore carebat Deipara: & piaculum eſſet peccatum aliquod ei adſcribere, quo tunc temporis purgaretur. Hæc namque ſunt verba Bedæ in Homilia citata ſuper miſſus eſt: *Spiritus ſanctus ſuperueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum ſorde caſtificauit, & ab omni æſtu concupiſcentiæ carnalis cor eius temperauit, atque mundauit*. Quæ verba accipienda eſſe, non de mundatione maculæ originalis, vel alicuius peccati, ſed de purgatione, quæ reperitur in Angelis, & de totali fomitis deſtructione, patet in ſimili ex D. Thoma 3. par. quæſt. 27. art. 3. vbi agens de purgatione fomitis Virginei in Angelica Annunciatione, afferenſque dictum Damaſceni: Quod in B. Virginem ſuperuenit Spiritus ſanctus purgans eam ante conceptionem Filij Dei, in hunc mundum ſcribit: *Dicendum quod Spiritus ſanctus in B. Virgine duplicem*

*S. Beda perperam intelectus.*

*plicem purgationem fecit. Vnam quidem quaſi præparatoriam ad Chriſti conceptionem, quæ nõ fuit ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis, ſed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine ſuſtollens. Nam & Angeli purgari dicuntur; in quibus nulla impuritas inuenitur, vt Dionyſius dicit 6. cap. Eccleſ. Hierarcrhiæ. Aliam verò purgationem operatus eſt in ea Spiritus ſanctus mediante Conceptione Chriſti, quæ eſt Spiritus ſancti opus, & ſecundùm hanc poteſt dici, quod purgauit eam totaliter à fomite.* Hactenus Angelicus Doctor. Videtur autem Beda allatis verbis eò ſolùm tendere; vt voluerit tempore Annunciationis Virginem à Spiritu ſancto temperatam fuiſſe, ne in ſui Virginalis ſeminis exhibitione, aliquo concupiſcentiæ, ſeù delectationis carnalis æſtu, ſicut cœteris mulieribus euenit, vreretur: Sed mente eius in Deum vnicè collecta materiam corporis Dominici puriſſimè miniſtraret, abſque eo quod conceptionis tempore mentem in delectationem ſordibus hærentem haberet. En fides Caietani, qui ſolùm ſe allaturum eſſe ſpopondit eos Sanctos Patres, qui non in communi, ſed in ſingulari nominatim de Beatiſſima

Virgine loquentes, non tempore Conceptionis Ieſu Chriſti, ſed tempore Conceptionis propriæ, docuerunt eam fuiſſe in originali peccato conceptam?

*3. Anſel- perperam intellectus* Dico ſecundo Sanctum Anſelmum, præcipuũ feſtiuitatis Conceptionis B. Virnis in Anglia promulgatorem, perperam intellectum, & ad firmandam ſuam propoſitionem, ſcilicet quod B. Virgo fuerit in originali concepta, non benè ex Bandelo à Caietano productum. Nam vt tomo 2. in 3. par. diſput. 3. ſect. 5. obſeruat Suarez, & Biuarius in Anſelmo vindicato lib. 2. §. 1. Verba ex Anſelmo à Caietano allata, non ſunt Anſelmi ſed Boſſij, qui ad Anſelmum, velut aliquid obijciens, loquitur. Cui Anſelmus nihil reſpondet, præterquam Virginem ab omni labe fuiſſe mundatam, id eſt præſeruatam, vt commodè exponi poteſt ex doctrina eiuſdem Anſelmi in lib. de Conceptu Virginali cap. 7. vbi dicit eum, qui ex ſemine, & cum libidine conceptus eſt, hoc ipſo dici poſſe in peccatis conceptum, quia inde habet neceſſitatem contrahendi peccatum, & quia ipſe per ſe non poteſt habere iuſtitiam, quam deſeruit in Adamo. Non ergo requirit ex

vi illius loquutionis peccatum re ipſa contractum, aut carentiam iuſtitiæ, ſed neceſſitatem contrahendi peccatum, & indigentiam gratiæ Chriſti, vt cap.8. explicat. Et ſi hoc non ita eſſet, S. Anſelmus ſecum ipſe pugnaret, quando in libro Cur Deus homo ca.18. dixit: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſe ipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus idemque communis Dei Patris, & Virginis filius*. Quæ Anſelmi verba innumeri Scriptores, & præſertim S.Thomas in 1.ſent.diſt.44. art.3. ad 3. infra adducendus, eo ſenſu accipiunt, vt planè pronuncient B.Virginem Mariam etiam originis macula caruiſſe. Hæc enim eſt illa puritas quâ maior ſub Deo intelligi nequit: caruiſſe ſcilicet non ſolum mortali, & veniali actualibus, ſed etiam originali. aliàs ſi ſolis actualibus caruiſſet, alia maior puritas intelligi poſſet, nimirum immunem etiam fuiſſe ab originali. En fides Caietana.

Dico tertio. Sanctum Bernardum Abbatem Clareuallenſem (quem multis lo- *S. Bernardus perperam intellectus.*

cis præſeruationem B.Virginis ab originali contagio aſſeruiſſe, & contra eam nunquam, vel leuiter, ſcripſiſſe in ſuis Sanctis Patribus vindicatis latè probat Biuarius) perperam intellectum, & in ſuæ poſitionis teſtimonium non ſatis legitimè à Caietano citatum. Doctor namque mellifluus in Epiſtola 174. ad Lugdunenſes non loquitur de Conceptione, prout hæc ſignificat animationem, nec agit de contractione peccati originalis in anima Virginis, ſed tantum diſputat cum Canonicis Eccleſiæ Lugdunenſis de feſto Conceptionis carnalis, illius ſcilicet Conceptionis, quæ carnalem parentum actum, & receptionem ſeminis paterni in vas maternum ſigificat: quæ certè conceptio vtpotè libidini obnoxia ſine dubio non eſt Sancta, nec ab Eccleſia celebranda. Hanc enim eſſe Bernardi mentem patet ex illis verbis: *An fortè inter maritales amplexus ſanctitas ſe ipſi Conceptioni immiſcuit, vt ſimul, & ſanctificata fuerit & concepta?* Et licet hoc tempore omnes Conceptionis nomine animationem intelligant, antea tamen Conceptionis nomen carnalem generantium actum ſignificabat; vt patet ex ijs, qui cum Innocen-

centio III. lib. 1. de Contemptu mundi cap. 4. Conceptionem, quæ fit in vſu coniugij parentum, vocant conceptionem primam ſeù ſeminum, Conceptionem verò, quæ in animatione corporis conſiſtit, vocant Cõceptionem ſecundam, ſeù naturarum. Cum igitur certum ſit non infundi animam fœtui in permixtione ſeminum, ſed ſatis multo poſt, cùm embrionis diſpoſitio ad animationem eſt conſumata. Cum item conſtet quod nulla materia eſt capax gratiæ ſanctificantis, ſed ſola anima rationalis, concludunt hi Auctores Sanctum Bernardum iure contendiſſe, Conceptionem Virginis, nempè primam, fuiſſe exapertem gratiæ ſanctificantis, ac proinde non debuiſſe de ea peragi feſtum, quod recens fecerant Lugdunenſes Canonici. Ita iam olim Albertus in 3. diſt. 8. art. 4. & Mayro in 3. diſt. 3. q. 2. art. 12. poſteaque Valentia in 3. parte diſput. 2. quæſt. 1. p. 2. Bellarminus lib. 4. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 16. & plenè Franciſcus Biuarius in ſuo Bernardo vindicato lib. 2. §. 3.

Quod ſi aliquis inſtaret S. Bernardum in ea Epiſtola loquutum eſſe de Conce-

ptio-

ptiore ſecunda, hancque peccato originis maculatam ſenſiſſe, cùm Canonici Lugdunenſes, cum quibus diſputabat, & quos reprehendit, non eſſent adeò delicti, vt celebrandam ſuſciperent Conceptionem primam; Dico, quod dato, & non conceſſo, quòd S. Bernardus hoc in Epiſtola prædicta ſenſerit, in hoc tamen haud ſibi conſtans fuit, cum multis alijs locis præſeruationem B. Virginis ab originali contagio, verbis ſolari radio clarioribus, aſſeruerit.

Nam in ſerm. 4. ſuper Salue Regina, ait cum Virgine loquens: *Libanus Mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus ſignificat innocentiam tuam*; *Innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis, nemo ita præter te*: Sic ille. Porrò ſicut innocens non fuiſſet ab actualibus, ſi aliquod actuale commiſiſſet, ſic prorſus, quantumuis poſtea mundaretur, ſi ſemel à peccato originali inquinata fuiſſet, nequaquam innocens ab oringinali dici poſſet.

Rurſus in ſerm. 13. in Cœna Domini ait: *Non eſt in filijs hominum magnus, vel paruus, tanta præditus ſanctitate, nec tantæ religionis priuilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem*

*imma-*

*immaculati agni peccatum non facientis, ſed peccata mundi tollentis: de qua, cum de peccatis agitur, nullam volo habere quæſtionem*. Hæc ille, (vt alia eius teſtimonia præſeruationi B. Virginis ab originali contagio manifeſtè ſuffragantia breuitati conſulens omittam). Nec dici poteſt ſermones citatos in Salue Regina, & in Cœna Domini, non eſſe germanos Bernardi fœtus: eſſe enim genuinos comprobat inter alios Biuarius loco ſupra allegato lib. 2. §. 10. quem tu conſule.

Succedant nunc ad veritatis trutinam expendendi Sancti Patres, qui licèt B. Virginem in originali peccato conceptam aſſeruerint, non fuere tamen ita in hac re conſtantes, quin etiam Conceptioni immaculatæ Deiparæ Virginis libentiſſimis calamis ſeſe ſubſcripſerint. Teſtis varius nocumentum neutri parti poteſt inferre; nec in ſuæ poſitionis probationem validè adducere poteſt Caietanus teſtimonium eorum, qui quod aſſerunt etiam negant. Sunt autem hi. S. Thomas de Aquino, S. Bonauentura, S. Bernardinus Senenſis, & S. Vincentius Ferrerius, in hæc verba à Caietano adducti.

*S. Thomas de Aquino in 3. p. q. 27. art. 2. dicit:*

SS. Patres inconſtantes, & varij à Caietano allati, & Cõceptioni immaculatæ fauentes.

*dicit B. Virgo Maria, quia fuit concepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit;*

*S. Bonauentura Ord. Min. in 3. ſent. diſt. 3. q. 1. arg. 2. dicit: Dicendum eſt quod B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & quod eius ſanctificatio ſubſequuta eſt peccati originalis contractionem.*

*S. Bernardinus Ord. Min. in ſermonum ſuorum Opere tertio, incipiente: Ignis à facie eius exarſit, in tract. de B. Virgine ſerm. 4. incipiente, Sicut Sol oriens mundo dicit: Tertia fuit ſanctificatio maternalis, & iſta remouet culpam originalem, confert gratiam, & remouet pronitatem ad peccandum, tam mortaliter, quam venialiter, & hæc fuit in Virgine Matre.*

*S. Vincentius Confeſſor in ſerm. de Conceptione Virginis dicit: B. Virgo Maria fuit in originali peccato concepta, ſed eadem die, & hora, ſtatim poſt animationem fuit per ſanctificationem a peccato contracto mundata.* Hæc Caietanus.

Dico igitur primò, quod quamuis cum ipſomet Caietano in 3. par. ſuper quæſt. 27. art. 2. reſpondere poſſem, S. Thomam de Aquino Doctorem verè Angelicum in Summa queſiuiſſe tãtum:

Vtrum

Vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata, vel ante infuſionem animæ, vel poſt infuſionem animæ; opinionem vero noſtram inter has mediam, quæ aſſerit B. Virginem non ante, vel poſt, ſed in ipſo inſtanti infuſionis animæ fuiſſe ſanctificatam, ne originale peccatum contrahæret, ab eodem S. Thoma non fuiſſe agnitam: tamen dato quod Angelicus Doctor in Summa 3.p.quæſt. 27.non obſcurè affirmauerit originale peccatum fuiſſe à B. Virgine contractum, aſſero illum non ita fuiſſe in hac re conſtantem, quin etiam in 1.ſent.diſt.44.quæſt.vnica art.3. ad 3. Conceptioni immaculatæ Deiparæ Virginis libentiſſimo calamo ſe ſubſcripſerit. Inquit enim ibi S. Thomas, reſpondens ad auctoritatem Anſelmi. *Puritas intenditur per receſſum a contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati iniquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit autem ſub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Sic ille. Neque verò quæ afferuntur à Thomiſtis gloſſæ ad hunc locum recipiendæ ſunt (inquit in ſuo

*S. Thomas immunitatis B. Virginis à peccato originali aſſertor.*

ſuo Opuſculo de Cõceptione B. Virginis Ambroſius Catharinus) Primò quidem, quia nec inter ſe conueniunt. Nam quidam, dicunt (vt Capreolus) quod S. Thomas intellexit eam immunem ab originali poſt primam ſanctificationem, quæ fuit in Vtero. Quidam verò à die ſecundæ ſanctificationis, quando Verbum Dei concepit. Deinde quia B. Thomas ſimpliciter, & abſolutè prædicauit Virginem immunem ab originali ſine vlla temporis diſtinctione. Præterea vox illa, immunis, perpetuam ſignificat abſolutionem ab ea re, à qua dicitur quis immu-
1.2. quæſt. 152. nis. Vnde ipſe B. Thomas *Virginitas hoc*, inquit, *importat, quod perſona, cui ineſt immunis ſit ab omni concupiſcentiæ adu. ſtione*. Quæ certè definitio falſa eſſet, niſi illa voce immunis, perpetua ſignificaretur immunitas. Adde, quod & validius eſt, quod S. Doctor copulat duo hæc, originale, & actuale peccatum, à quibus illam immunem dicit; ſed de actuali haud dubium, quin perpetuam immunitatem dixerit B. Thomas, cur ergo non pariter & de originali, cum hæc ambo, quoad immunitatem ita iungantur, vt æquari videantur? quia ex regula ad

rectè intèrpretandum ducente, vna determinatio, quæ plura reſpicit determinabilia, debeat ea pariformiter determinare; at verò monſtroſè claudicaret ſermo ille, ſi ab actuali immunis perpetuo diceretur, ab originali verò à prima ſanctificatione: vel, quod abſurdius eſſet, à ſecunda, quando concepit filium. Ad hæc contra eos, qui dicunt poſt primã demùm ſanctificationem fuiſſe illam immunem ab originali, ſpecialiter arguitur. Quoniam ſi habuit adhuc fomitem (vt volunt) non nituit eâ puritate, quâ nequit maior intelligi ſub Deo. Quod tamen ibi aſſerit S. Thomas. Præterea puritas, quæ non eſt perpetua, non poteſt dici maior omni puritate, quæ ſub Deo eſt, etiam per receſſum à contrario (vt B. Thomas docet in Opuſculo Salutationis Angelicæ) Poſtremò vt claudantur omnium ora, ibi declarat ipſemet S. Doctor, quomodo ſub Deo intelligi debeat illa immunitas B. Virginis, videlicet per receſſum à contrario, ideſt à peccato. Quoniam ipſe quidem Deus à peccato liber eſt, non ſecundum actum ſolum, verùm etiam ſecundùm potentiam. Sub Deo ergo erit ſemper B. Virginis puritas, ſi po-

ſi ponatur à peccato immunis ſecundum actum perpetuò, quia non ponitur per hoc immunis ſecundum potentiam. Et hæc eſt puritas, quam illi tribuit B.Thomas, cui ſatis fuit, vt eſſet ſub Deo. Ex quibus arbitror non valde proteruos per ſuaderi ſatis poſſe, quod B.Thomas hanc aliquando ſententiam probauit: quod neque Capreolus omninò negare auſus eſt, neque audet Caietanus. Sed aiunt, quæ ſcripſit in Summis S.Thomas, ſunt eius vltimum teſtamentum, cui ſtandum eſt. Cur ergo Caietanus nonnunquam probat magis, quę ſuper Sententijs ſcripſit? Hactenus Catherinus, & quidem optimè. Porrò in antiquis omnibus editionibus Operum S.Thomæ, & nominatim in Lugdunenſi anni 1520. recognita à F. Lamberto Campenſi, & in Romana iuſſu Pij V. confecta, & ad probatiſſimos Codices collata, habentur præfata verba: *B.Virgo à peccato originali, & actuali immunis fuit*: quæ á varijs quoque antiquis, tamquam D. Thomæ, referũtur: illa tamen, vtpotè peccatum originale ex mente D.Thomæ à B.Virgine remouentia, abraſit ex nupera Antuerpienſi editione Operum S. Thomæ apud Ioannem

nem

nem Keebergium, cui prĕfuit, anno 1612. F. Coſmas Morelles, ratus hanc fore optimam illius loci expeditionem, non autem Gloſſas quas ex Capreolo & alijs Thomiſtis ea verba tamquam D. Thomæ agnoſcentibus adducit Catherinus.

Nec ſolum in 1. Sentent. Diſt. 44. q. vnica art. 3. ad 3. ſed & in cap. 3. Epiſtolæ Pauli ad Galatas Lect 6. Angelicus Doctor Conceptionem B. Virginis ab originali macula immunem tuetur his verbis: *Ipſe ſolus, & ſingularis eſt, qui non ſubiacet maledictioni culpæ, & ſi maledictio pro nobis dignatus ſit fieri: vnde dicitur in Pſal. 140. ſingulariter ſum ego, &c. item, non eſt qui faciat bonum, &c. Eccl. 7. Virum de mille vnum reperi, ſcilicet Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato, Mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ omnino à peccato immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali: excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo.* Ita in editione Pariſienſi anni 1541. Quæ vltima verba immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptioni manifeſtè fauentia, & in multis varijſque S. Thomæ Codicibus teſtatiſſima, in recentioribus editioni-

bus, & præſertim in Veneta anni 1593. fuiſſe truncata, manifeſtè euincunt Henriquez lib. 3. Summæ cap. 11. Pineda in cap. 7. Eccleſiaſtici verſu 29. num. 8. & P. Theophylus Raynaudus in Dipthycis Marianis parte 2. puncto 2. num. 46.

Sed & in Expoſitione Salutationis Angelicæ ſeſe Conceptionis immaculatæ fautorem eximium apertâ & illuſtri aſſertione Angelicus Doctor declarauit, dum ibidem ſcripſit: *Maria puriſſima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Hunc enim locum, inter alios, citant Caniſius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. & Salmeron in Epiſt. ad Rom. diſput. 51. qui affirmat Cardinalem Io. à Turrecremata nobilem ſatis Thomiſtam verba iſta agnoſcere, & D. Thomæ propria eſſe calculo ſuo confirmare. Quapropter (vt inquit Salazar in Tract. de Concept. cap. 42. ſæculo XIII) putandum eſſe Opuſculum illud de Salutatione Angelica ab his poſteà vitiatum, qui ægrè ferebant D. Thomam piæ ſententiæ toties adfauere.

Dico ſecundò, quod S. Bonauentura Doctor Seraphicus, licèt in 3. diſt. 3. Sanctiſſimam Dei Genetricem Mariam in-

ori-

originali peccato conceptam ſcripſerit, vt oſtendunt verba à Caietano allata, non ita tamen huic ſententiæ adhæſit, vt in oppoſitam tandem aliquando non diſceſſerit. Nam in ſerm.2. de B.Maria inter alia ſic fatur: *Dico primò, quod Domina noſtra fuit plena gratia præueniente in ſua ſanctificatione, gratia ſcilicet præſeruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ſpeciali gratia præſeruata, præuentaque fuiſſet. Solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa Mater eius Virgo. Credendum eſt enim, quod nouo ſanctificationis genere in eius Conceptionis primordio Spiritus ſanctus eam a peccato originali, non quod infuit, ſed quod infuiſſet, redemit, atque ſingulari gratia præſeruauit.* Hæc Bonauentura. Quibus nec clarius nec nobilius Virginis libertatem à culpa originali potuit deprædicare. Nec poteſt dici, ſermonem illum S. Bonauenturæ non eſſe, quia, & ſtilus, & auctoritas Sixti V. Pont. Max. qui accuratè admodum Bonauenturæ Opera euentilari, & purgari fecit, præfatum ſermonem Bonauenturæ germanum opus eſſe euincunt.

*S. Bonauētura Conceptionis immaculatæ fautor.*

Et quamuis S. Bonauentura in 3. diſt. 3

dicat communiter Sanctos Patres ſolùm excipere Chriſtum ab illa generalitate qua dicitur: *Omnes in Adam peccauerunt:* nullumq; inueniri, qui dixerit Virginem Mariam fuiſſe ab originali immunem: Intelligit tamen de Sanctis à ſe lectis (neque enim vidit omnes) qui iuxta mentem SS. Anſelmi, & Bernardi, loquuti ſunt de conceptione carnis, carnalem parentum actum, non verò animationem corporis ſignificante; Vnde ſolùm citat S. Anſelmum, & S. Bernardum: Vel intelligit de Sanctis, qui à peccato originali ſolùm Chriſtum per ſe, & ex vi Conceptionis ſuæ excipientes, non dixerunt quidem B. Virginem ab originali peccato fuiſſe immunem; quia de illa expreſsè non loquuti ſunt, & etiamſi loquuti fuiſſent, per ſe tamen, & ex vi Conceptionis ſuæ à peccato originali immunem non dixiſſent, (hoc enim ſolius Chriſti proprium) quamuis non negaſſent ex gratia Chriſti, atque ex ſingulari priuilegio, diuinitus ab originali labe præſeruatam.

*S. Bernardinus Senenſis Cóceptionis*

Dico tertiò, quod Sanctus Bernardinus Senenſis, quem Caietanus adducto Teſtimonio ſuæ ſententię auxiliarem vocat,

cat, Beatæ quoque Virginis ab omni originali labe immunitatem luculentiſſimè tradidit. Nam Tomo 1. Serm. 51. de Salutatione Angelica cap. 1. ad illud Verbum. *Aue*, elicit B. Virginem à triplici Væ, originalis, mortalis, & venialis culpæ perquàm alienam fuiſſe. Et quod amplius eſt, ſcripſit de pura Conceptione inſignem librum, à Trithemio, Bellarmino, Vvillot, Poſſeuino, alijſque memoratum: quem propria ipſius Sancti manu exaratum ſe Senis vidiſſe teſtatus eſt Bernardinus Buſtenſis ſerm. 4. de eadem Conceptione, vt dixi in Bibliotheca Mariana parte 1. *Immaculatæ defenſor.*

Dico quartò, Sanctum Vincentium Ferrerium, quem Caietanus pro ſua ſententia adducit, Conceptionem B. Virginis ab omni originalis peccati neuo immunem ſuo ſuffragio comprobare. Nam in ſermone de eadem Conceptione, tunc denique B. Virginem ſanctificatam fuiſſe dicit, cùm primùm ſanctificationis capax fuit, eadem die atque hora, qua in vtero Matris concepta eſt. Vnde in ſerm. 1. de Natiuitate ſic ait: *Quando corpus B. Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, Al-* *S. Vincentius Ferrerius Conceptionis immaculatæ teſtis.*

*tiſſimus ſanctificauit Tabernaculum ſuum.* Quæ verba, vt in Tract. de Conceptione notat Salazar, ſimultaneam creationis, & ſanctificationis coëfficiẽtiam ſonant. Sed ſuam ipſe mentem luculentius inſinuauit in ſerm. 2. de Natiuitate. Nam expendens illa verba, *fiat lux*, de Conceptione ſic fatur: *Non credatur, quia fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis cõcipimur, ſed ſtatim atque anima fuit creata, fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli in Cœlo fecerunt feſtum Conceptionis.* Subditque: *Lux dicitur, illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quæ ſine tenebra culpæ facta eſt.* Sic Vincentius.

Certè ſi cognitum habuiſſet Caietanus quindecim Sanctos Patres, quos pro maiori probabilitate opinionis, B. Virginem in originali conceptam aſſerentis, ex Bandelo, cui credidit, bona fide adduxit: partim eſſe (vt hactenus oſtendi) omninò fictos, partim prorſus deprauatos, partim perperam intellectos, partim verò inconſtantes & varios, & Conceptioni etiam immaculatæ Deiparę Virginis apertè fauentes, nunquàm (vt opinor) ſuum huiuſmodi opinioni aſſenſum prębuiſſet. In tantum enim huiuſmodi opinionem amplexus eſt, in quãtum ſibi perſuaſit il-

'am

Iam tot Sanctorum Patrum, quos ex Bandelo protulit, teſtimonijs atque auctoritate ſtabilitam: reiecturus proculdubio ſi eam deprehendiſſet eorumdem SS. Patrum ope, & præſidio deſtitutam, & contrariæ, cui tot Patres, tàm Greci, quàm Latini (quos ille videre non potuit) atque ipſa Eccleſia Catholica columna, & firmamentum veritatis ſuis ſuffragijs fauent, & de qua idem Caietanus, tàm præclarè ac baſilicè, vt in Purpura Mariana cap. 17. §. 3. oſtendi, loquutus eſt, pro ardenti ſuo erga Deiparam Virginem affectu, toto mentis ſuæ conatu, (vt ego quidem arbitror) firmiter adhæſurus.

*Vide Caium lib. 7 de Locis Theologicis vbi aſſerit Caietanum parum in Sanctorum lectione fuiſſe verſatum.*

Quid ſi cognouiſſet Caietanus Decretum Concilij Florentini, ſub Eugenio IV. celebrati, quod ex Bandelo in ſuo Opuſculo citat ad probandum B. Virginem cum originali macula conceptam, in Tomis Conciliorum antiquorum non inueniri, ſed nuper poſitum eſſe in Bullario ſub nomine Bullæ Eugenij IV. contra Iacobitas, nec tempora cohærere, cùm Concilium Florentinum finitum ſit anno Domini 1439. & Bulla dicatur facta anno 1441. Et quod maius eſt, in eodem Decreto non legi (vt ipſe

bona fide legi credidit) ſolum Chriſtum à peccato originali fuiſſe exemptum, vt ſignificaretur B. Virginem excipi non debere, ſed ſolùm Chriſtum ſua morte proſtraſſe hoſtẽ humani generis? Inquit enim loco citato cap. 5. Caietanus: *Conciliabulo Baſilienſi* (in hoc Cõcilio, licet ab Eccleſia ob ſchiſma exortum non probato, Opinio aſſerens glorioſam Virginem, præueniente, & operante diuini Numinis gratia ſingulari, nunquàm actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, tanquàm pia, & conſona cultui Eccleſiaſtico declarata eſt) *è regione opponitur verum ac venerandum Concilium ex Ferraria in Florentiam tranſlatum, Græcorum, & Latinorum ſub prædicto Eugenio IV. vbi inter dogmata fidei traduntur hæc verba: Firmiter credit, profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia neminem vnquam ex viro fœminaque conceptum, à Diaboli dominatu fuiſſe liberatum, niſi per fidem Mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis hoſtem, peccata delendo, ſolus ſua morte proſtrauit, & Regni Cæleſtis introitum, quod primus homo peccato proprio cum omni ſua ſucceſſione perdiderat, reſerauit.*

Hæc

Hæc ibi. *Quæ pro tanto inducta ſunt*( ubdit Caietanus ) *vt appareat, quod illo tempore, quo res in quæſtione erat, vniuerſalis Eccleſia ſolum Chriſtum excepit ab originali peccato: quod non erat dicendum, ſi Beata quoque Virgo excipienda eſſet*. Hæc Caietanus, nec ad quemlibet, ſed ad Summum Orthodoxæ Eccleſiæ Paſtorem Leonem X. At quâ fide penitus ignoro. Nam (vt dixi, & rectè etiam in Opuſculo de Conceptione, qui extat apud me M.S. obſeruauit Cardinalis Bellarminus) in Tomis Conciliorum antiquorum non inuenitur tale Decretum, ſed nuper poſitum eſt in Bullario, ſub nomine Bullæ Eugenij IV. contra Iacobitas: nec tempora cohærent cùm Concilium Florentinum finitum ſit anno Domini 1439. & hæc Bulla dicatur facta anno 1441. & quicquid ſit, nullus vnquam in adducto Decreto leget, etiam ſi centies milleſque illud relegat; Quod ſolus Chriſtus fuerit exemptus à peccato originali ( vt vult Caietanus) ſed quod ſolus Chriſtus ſua morte proſtrauit hoſtem humani gneris.

Quid ſi inſuper cognouiſſet Caietanus D. Birgittã, cui de immunitate B. Virginis à peccato originali reuelatio facta eſt, verè

rè fuiſſe (quod tamen ipſe Bandelo credens non credidit) ab Eccleſia ritè & legitimè canonizatã, eiuſque Reuelationes, inter quas prædicta de immunitate B. Virginis continetur, à Summis Pontificibus (quod ipſe forſitan neſciuit) Gregorio XI. Vrbano VI. & Bonifacio IX. accuratiſſimo per Cardinales, & Theologos doctiſſimos examine præmiſſo, receptas, & approbatas: Reuelationem verò, quæ contra immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem D. Catharinæ Senenſi factam putauit, non ſolum à Sede Apoſtolica non eſſe approbatam, ſed poſt obitum ipſius S. Catharinæ, à quibuſdam indiſcreto quodam Zelo fuiſſe confictam, & alijs ſuperadditam, ad infirmandam fidem Reuelationum, quæ puritatem Conceptionis B. Virginis confirmabant? Ita enim loquitur Caietanus.

*Reuelatio S. Catharinæ Senẽſis contra immaculatam Cõceptionem à Caietano allata, diligenter examinata, & ficta inuenta.*

*B. Birgittæ reuelatum dicitur B. Virginem præſeruatam eſſe ab originali peccato. Sed hæc probabilitas valde exigua eſt, tum quia eſt contra tot Sanctos, & nullus eſt inter iſtos Sanctus. Sanctæ autem Birgittæ è regione ponitur S. Catharina Senis, quæ dixit ſibi reuelatum eſſe oppoſitum, vt refert Archiepiſcopus Florentinus in 1. parte Summæ*

*mæ ſuę tit. 7 cap. 2. circa finem. Et maiori fide digna videtur S. Catharina; quia canonizata eſt ſicut cæteri Sancti: Sancta verò Birgitta canonizata eſt tempore Schiſmatis, quo nullus habebatur certus, & indubitatus Papa a Bonifacio in ſua obedientia 9.* Hæc ille; & quidem non verè, vt ex ſubiecto examine clarum fiet. Nam (vt verbis vtar ſapientiſſimi Ægidij de Præſentatione Auguſtiniani in ſuo Tract. de Conceptione B. Virginis) falſitatis conuincitur Caietanus, dum ait, Beatam Birgittam non fuiſſe legitimè canonizatam, vt quæ canonizata ſit tempore Schiſmatis, à Bonifacio IX. qui non fuit indubitatus Papa. Nulli enim dubium eſſe debet S. Birgittam legitimè fuiſſe canonizatam à legitimo Pontifice, quoniam Bonifacius IX. qui eam in Sanctorum numerum retulit, fuit legitimus Petri ſucceſſor, & pro vero Pontifice habitus eſt: quandoquidem Petrus Luna, qui contra Bonifacium Auenionæ Papa fuerat renunciatus, & Benedictus XIII. appellatus Pontifex adulterinus fuit, vt legenti Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 37. & Platinam in Vita ipſius Bonifacij conſtabit. Et latiùs hoc probat Antonius Corduba lib. 1. Quæſtionarij, quæſt.

quæſt. 44. vbi ſic habet: Et quidem canonizatio S.Birgittæ non ſolum à toto orbe ſuſcepta eſt, verum etiam à Martino V. ſpecialiter appobata. Idem habet Ambroſius Catherinus in Opuſculo de Conceptione B. Virginis & alij. Ex quibus euidenter patet non eſſe in dubium reuocandam D.Birgittæ Canonizationem, cùm præſertim ex Bulla ipſius Martini V. conſtet omnia, quæ circà eam Canonizationem à Bonifacio IX. facta ſunt, eſſe cenſenda Canonicè facta. Idem quoque probat communis Eccleſiæ vſus, quę B. Birgittam, tanquàm legitimè Canonizatam, veneratur & colit: & palam fit ex Martyrologio Romano, Baronio, Molano, Surio, & alijs. Quare quoad hoc Canonizatio S. Birgittæ, æqualis eſt auctoritatis cum Canonizatione S. Catharinæ Senenſis.

Supereſt expendere, An vtriuſque Reuelationes æqualis ſint auctoritatis & fidei. Et quod attinet ad Reuelationes S.Birgittæ: de illarum fide & auctoritate nullus dubitare poteſt. Etenim ex ijs quæ Io. Cardinalis Turrecremata ſcribit in harum Reuelationum Prologo cap. 1. patet has Reuelationes non ſolùm in vita

illius

illius à Prælatis Viriſque doctiſſimis accuratè examinatas & approbatas fuiſſe, ſed etiam poſt illius mortem à Summis Pontificibus Gregorio XI. Vrbano VI. & Bonifacio IX. accuratiſſimo per Cardinales Sanctæ Eccleſiæ, & Theologos doctiſſimos examine præmiſſo, receptas, & approbatas. An verò Reuelationes S. Catharinæ Senenſis habeant auctoritatem, mihi non conſtat. Certè à Sede Apoſtolica nec approbatæ adhuc ſunt, nec confirmatæ: & de illa quæ negat B. Virginem ſine originali peccato fuiſſe conceptam, grauiſſimi Theologi dubitant, aſſerentes hanc reuelationem poſt obitum S. Catherinæ à quibuſdam indiſcreto quodam zelo fuiſſe cõfictam, & alijs ſuperadditam, ad infirmandam fidem reuelationum, quæ puritatem Conceptionis cõfirmant. Ità inter alios Ambroſius Catherinus in Opuſculo non ſemel allegato de Conce. tione B. Virginis. Quem (cùm ipſe ſit Ordinis Prædicatorum, & pro veritate loquatur) non dubito à Caietani fautoribus libentiſſimis auribus audiendum. Huius autem iſta ſunt verba: *Sed hic inſtant, quòd B. Catharina ex reuelatione habuit oppoſitum,* (ſcilicet quòd B. Virgo concepta

ſit in peccato originali) *quod tamen nullibi inuenitur, Nam beatę memoriæ Vir Raymundus. Magiſter Ord. eius. Confeſſionis auditor & comes aſſiduus, qui vitam illius Virginis diffuſiſſimè ſcripſit, & eius reuelationes diligentiſſimè collegit, de hac re penitus verbum nullum. Similiter, & alij plures, qui illius Sanctiſſimæ Mulieris geſta conſcripſere, vt Beatus Vir Stephanus Carthuſienſis, eius perpetuus comes, & frater Thomas Senenſis alter eius confeſſionis auditor, nihil huiuſmodi penitùs memorant. Beatus etiam Antoninus in Chronicis ſuis, dum vitam eius perſtringeret, nihil eius rei meminit; niſi quod in Vita S. Birgittæ id, quod ferebatur à noſtris de B. Catharina, oppoſuit contra Birgittæ illas aſſertas reuelationes de immaculata Conceptione, nihil tamen producens præter rumorem. Credo enim Zelatores quoſdam, vt haberent, quod B. Birgittæ teſtimonio opponerent, de B. Catharina id confinxiſſe. Vnde vehementer ſuſpicor illorum quempiam in calce cuiuſdam Orationis, quę illi inſcribitur, iſtam Coronidem adieciſſe, non tamen quaſi reuelatam, nec in modum Orantis expreſſam, ſed quaſi diſputantis cum Deo, ac perſuadere illi conantis, quod ità eſſet, etiam ratione adie-*

*cta*

*ſta perquàm friuola, quam pudet, pigetquè referre. Qui velit, videat. Hoc ſatis nunc nobis, quod id,quod aſſerunt,nullibi legitur; Sed fàma malum, quo non aliud velocius vllum, nobilitate viget, vireſque acquirit eundo, id mendacij nobis attulit, impellente zelo.* Sic Catharinus. Cui ſubſcribunt, Ægidius de Præſentatione loco ſupra citato,Suarez Tomo 2. in 3.p. diſp. 3. ſect. 5. Lezana in ſuo Apologetico pro Concept. cap.14. Vaſquez Tomo 2. in 3.p. diſp. 117. num. 79. Martinus Delrio in libro Diſquiſ. Magic. Tomo 2. libro 4. q. 3. ſect 4. cap. 1. atque alij ferè innumeri. Non ergo credendum eſt Caietano aſſerenti, maiori fide dignam eſſe S.Catharinam Senenſem, quàm B. Birgittàm: Etenim ſi ſermo ſit de vtriuſque reuelationibus in genere,quæ ſunt S.Birgittæ à Sede Apoſtolica ſuam habent autoritatem, quam tamen non habent,quę ſunt S.Catharinæ Senenſis. Si verò ſermo ſit de hac ſpeciali reuelatione immunitatis Virginis glorioſæ, non ſolum indubitatum eſt hanc reuelationem inter alias Beatæ Birgittæ contineri, ſed etiam à Sede Apoſtolica ter vel quater eſſe approbatam; cum tamen non ſine funda-

men-

mento dubitetur, an quæ ex B. Catharina adducitur, verè illi ſit facta.

Cùm itaque Caietanus (vt hactenus oſtendi) ad probandum B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam, Sanctos Patres partim omninò fictos, partim prorſus deprauatos, partim perperam intellectos, partim inconſtantes & varios, licet bôna fide, ex Bandelo adduxerit, neque his contentus, Concilia ſimulata ex eodem protulerit, & Reuelationes commentitias in medium produxerit: quæ ei immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem oppugnanti fides habenda ſit, quilibet, qui vtriuſque partis affectum deponens, iuſtum iudicium iudicare voluerit, facili poterit negotio decernere. Ego quidèm (ſi meo Iudicio huius cauſæ ſententia ſeruaretur) confidentiſſimè, quia, vt puto, veriſſimè, pronuntiare non dubitarem: Caietano pro maculata Deiparæ Virginis Conceptione ſcribenti; atque immaculatam oppugnanti fidem habendam eſſe nullam. Diligo Caietani ingenium, eius ſcientiam admiror, eius dignitatem veneror, eius Purpuram deoſculor: at eius fidem in SS. Patrum dictis teſtimonijſque contra puram

ram B. Virginis Conceptionem recenſendis, nec diligere, nec admirari, nec venerari, nec deoſculari poſſum. Cognouit hoc Leo X. Pontifex Max. cui ille ſuum de Conceptione Opuſculum nuncupauit, nullamque Caietanę fidei adhibens fidem, erga immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem (vt patet ex R.P. Luca Vaddingo in Legatione pro Conceptione B. Virg. Orat. 8. atque ex Pontificibus Marianis cap. 80.) eximiam oſtendit pietatem, plurima ædificando Temla in honorem huius myſterij, magnas etiam elargiendo indulgentias, non ſolum Fratribus Minoribus, & Monialibus Conceptionis, hoc myſterium & feſtum tanto proſequentibus affectu, ſed etiam alijs Religionibus, vt conſtat ex Bulla; *Sanè Religionis ſinceritas, &c.* in qua Fratribus Benedictinis facultatem indulſit interdictum ſuſpendendi in feſto, & per totam Octauam Conceptionis, quod poſtea omnibus Hiſpaniæ Eccleſijs communicauit. Quis Ædem S. Mariæ in Campo Sancto à Leone IV. conſtructam reædificauit, & in Conceptionis immaculatæ honorem conſecrauit? Leo X. Pont. Max. cui Caietanus Opus contrà Conce-

 ptio-

ptionem immaculatam dedicauit. Quis Eccleſijs S. Mariæ de Populo, de Monte, de Aracœli, SS. Apoſtolorum, S. Franciſci Tranſtyberim, S. Laurentij in Damaſo alijſque quàmplurimis Vrbis, in ipſo Cõceptionis die Iubileum conceſſit? Leo X. Pont. Max. cui Caietanus Opus contra Conceptionem Immaculatam dedicauit. Quis Rectoribus, & Beneficiatis Parochialium Eccleſiarum Oppidi Molinæ in Hiſpania, vt in nocte ante diem feſtum ſanctiſſimæ Conceptionis B. Virginis Mariæ, poſt Laudes, annis ſingulis, vnam Miſſam in cantu cum Presbytero, Diacono, & Subdiacono ſolemniter celebrare liberè, & licitè valerent, auctoritate Apoſtolica de ſpecialis dono gratiæ perpetuò indulſit? Leo X. Pont. Max. cui Caietanus Opus contra Conceptionem Immaculatam dedicauit. Et cur quæsò talis ac tantus Pontifex à Caietano audiens opinionem aſſerentem Beatam Virginem cum originali macula conceptam ab innumera Sanctorum Patrum multitudine in delicijs habitam, à Concilio Florentino amplexatam, ac diuina reuelatione ſanctæ Catharinæ Senenſi factâ roboratam. Contrariam verò

(hor-

(horreſco referens) nullum habere pro ſe Sanctum, nullum illuſtrem Doctorem antiquum, niſi fortè pro hac parte à falſarijs allatum, nullius Synodi robur, nullius reuelationis niſi fortè ſomniatæ ſubſidium, nullius miraculi, niſi mulierculis enarrandi fulcimentum: Cur inquàm talis, ac tantus Pontifex hæc à Caietano audiens, Conceptionem Immaculatam ab Orbe eliminans, in honorem maculatę non Templa erexit, non Indulgentias conceſſit, non Interdicta ſuſpendit, non Iubilea promulgauit, ac Auctoritate Apoſtolica de ſpecialis dono gratię ſingularia priuilegia Chriſti fidelibus non indulſit, præſertim cum omnia, vel ferè omnia, quę erga Immaculatam Conceptionem venerationis ſigna oſtendit, poſt oblatum ſibi à Caietano Opuſculum præſtiterit? Certè non aliam arbitror ob cauſam, niſi quia cùm eſſet ſapientiſſimus, inſuperque diuino numine afflatus, Caietanæ fidei non fidens, illam in hac re non ſolùm non fidelem, ſed nullam prorſus eſſe iudicauit.

Et vt hoc Opuſculum tandem concludam: Nullam mihi fidem haberi volo, ſi

Caietanus, licet bona fide ex Bandelo, pro ſua maculatæ Conceptionis aſſertione Sanctos Patres fictos, deprauatos, inuitos, inconſtantes non adduxit, Concilia ſimulata non protulit, Reuelationes commentitias non enarrauit. Producantur omnia Opera Chriſoſtomi, etiam apud Typographos Hæreticos excuſa, & ſi in his inueniantur verba à Caietano ex Bandelo adducta: *Chriſtus naturam humamanam de peccatrice ſuſcepit*: nulla mihi fides. Producantur omnia Martyrologia, ac omnes Sanctorum Vitæ, & ſi in his Euſebius Emiſſenus inueniatur Sanctus, nulla mihi fides. Producantur Sermones iam impreſſi, ac eidem Euſebio Emiſſeno adſcripti, & ſi in auctoritate à Caietano allata non inuenitur deeſſe verbum illud *per ſe*, nulla mihi fides. Producantur iterum omnia Martyrologia & omnes Vitæ Sanctorum, & ſi Remigius, qui ſcripſit in Pſalmos, inuenitur inter Sanctos relatus, vt retulit Caietanus, nulla mihi fides. Producantur Opera S. Maximi, tàm impreſſa, quàm mm.ss. & ſi in illis inuenitur Auctoritas à Caietano citata, nulla mihi fides. Producantur denuò omnia Martyrologia, & om-

nes

nes Vitæ Sanctorum, & ſi in illis inuenitur S. Erardus Epiſcopus & Martyr cum teſtimonio, quod Caietanus ex eo producit, nulla mihi fides. Producantur opera S. Antonij de Padua, & ſi in his extent verba à Caietano relata, nulla mihi fides. Producantur Opera S. Auguſtini, & S. Ambroſij, & ſi Auctoritates, quas Caietanus affert, non ſint deprauatæ, nulla mihi fides. Producantur Opera S. Bedæ, S. Anſelmi, & S. Bernardi, & ſi verba à Caietano allata, non inueniantur etiam perperam intellecta, nulla mihi fides. Producantur Opera antiquarum editionum S. Thomæ Aquinatis, S. Bonauenturæ, S. Bernardini Senenſis, & S. Vincentij Ferrerij, & ſi in his, contra Caietani aſſertum, non inueniantur teſtimonia immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptioni manifeſtè ſuffragantia, nulla mihi fides. Producātur Acta Concilij Florentini ſub Eugenio IV. celebrati, & ſi in his inueniatur, quod ſolus Chriſtus à peccato originali fuerit exemptus, vt refert Caietanus, nulla mihi fides. Producantur denique omnia opera Sanctæ Catharinæ Senenſis, & ſi in illis inueniatur reuelatio contra immaculatam Deiparæ Virginis

ginis Conceptionem facta, vt aſſerit Caietanus, nulla mihi fides. Si autem in his omnibus inueniatur contrarium, & deprehendatur verum eſſe, quod dico, nulla fides Caietano.

LAVS DEO.

Digitized by Google